

laude et gloria, ubi prius affecti sunt confusione, probris et verberibus. Factum id per Constantinum. Ita Theodoretus, Remigius et Vatablus.

Mystice, colligit Deus peccatores claudicantes, qui nunc Deo, nunc demoni, nunc Christo, nunc carni et mundo adhaerant. Ideoque a Dei gratia et domo ejecti erant, cum eos efficaciter ad se vocat, sibique fortiter astringit, uti vocavit et astrinxit S. Magdalenam.

Verz. 20. 20. IN TEMPORE ILLO. — Repete : « Interficiam omnes qui affligerunt te, et salvabo claudicantem, » etc.

CUM CONVERTERO CAPTIVITATEM VESTRAM, — qua in primitiva Ecclesia vos, o christiani, sub ju-

deis magistratibus et gentilibus Imperatoribus, fuisit quasi captivi et oppressi : faciam enim per Constantinum ut vos libertatem assequamini, imo dominemini infidelibus, eorumque templa occupetis, ac publice Christum gloriose et magnifice colatis. Ita Lyranus et Vatablus. Secundo, captivitas haec accipi potest servitus diaboli et peccati, a qua Christus nos ad libertatem filiorum Dei traducit per gratiam in hac vita, et per gloriam in altera, ubi post multos labores et agones, e servitute corporis, aerumnarum et mortis nos liberabit, ac celestibus coronis et honoribus donabit, et beabit in aeternum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo et alii.

IN

# AGGÆUM PROPHETAM.

## ARGUMENTUM.

Aggæus, id est festivus, cur ?

Decimus inter Prophetas ponitur Aggæus, vel, ut hebraice scribitur per *chet*, חַגַּי *Chaggai*, sive *Chaggæus*, id est festivus, festum agens, a radice חָגַג *chagag*, id est festum celebravit, festive prophetans ad populum laete et Babylone in Judæam redeuntem. « Aggæus, ait S. Hieronymus ad Paulinum, festivus et letus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem : Adhuc modicum, et ego commovebo caelum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, » puta Messias, sive Christus. Quoad tempus, prophetauit Aggæus paulo post Judæorum reditum et captivitate Babylonica (1). Cum enim republica Judæorum vitis esset corrupta, Deus eam excidit, et traduxit in Babylonem, ibique captivos detinuit per 70 annos, ad hoc, ut sola illa generatio vetus et vitata inferiret, et in eorum locum filii ab hinc vitis intacti succederent, ut novus populus ad renovationem Jerusalem perveniret. Eo ergo rediit 1 anno Cyri : mox cepit reedificare templum, jecitque ejus et altarium fundamenta, sed caso paulo post a Tomyri Scytharum regina Cyro, successit ei in regnum Persarum filius Cambyse, sive, ut eum Esdras vocat, Assuerus chaldaice, persice Artaxerxes, qui persuasus a Sanaballat aliisque Samaritanis Judæorum hostibus, quod templum, sed revera arce quasi rebellatarii ædificarent, vetuit eos in

fabrica progredi. Narrat haec fuisse Esdras lib. I. cap. iv, ubi et addit vers. 24 : « Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum. » Judei enim videntes a Cambyse, Sanaballat et aliis tot tantasque fabricæ remoras injici, dicebant necdum ejus tempus advenisse. Quocirca Deus suscitavit Aggæum anno secundo Darii, qui eos ad templi fabricam resumendam incitaret. Hoc est enim quod subdit Esdras cap. v, 1 : « Prophetarum autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judea et Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedeac, et ceperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetae Dei adjuvantes eos. » Qui et subdit cap. vi, Deum flexisse animum Darii, ut templi fabricam non tantum permitteret, sed et edicto suo promoveret, jubens ex tributis regis preberi sumptus in fabricam et sacrificia necessaria. Ubi recte advertit S. Hieronymus in *Prologo* : « Sciendum, ait, est magni spiritus fuisse Aggæum et Zachariam prophetas, ut adversus Artaxerxis regis edictum, et Samaritanos gentesque cunctas per circuitum ædificationem templi impeditas, jubenter templum extrui : Zorobabel quoque, et Jesum filium Josedeac, et populum qui cum eis erat, non minoris fidei, ut prophetas magis audirent jubentes, quam probibentis regis imperium. » Additque secutus Chironicon Eusebii haec contigisse, « quo tempore apud Romanos septimus a Romulo regnavit Tarquinus Superbus, habens annum imperii vigesimum septimum, qui post octo annos expulsus est a Bruto : ac deinde republicam per quadringentos et sexaginta quatuor annos usque ad Julium Cæsarem consules administraverunt. » Quare ab hoc anno secundo Darii, usque ad annum 42 Augusti Cæsaris, quo natus dicitur Christus, fluxerunt anni 518 ; tot ergo annis Aggæi propheta de Christo eum antecessit.

Porro illa quatuor continet partes, sive visio-

(1) Primum locum inter eos qui reduci e Babylonia et exsolute captivitate genti oracula divina in Judæa edisseruerunt, tenet Aggæus. Sua ergo sede locoque apposito inter Prophetas comparat, Sophoniam excipiens, qui signum claudii eorum vatam qui ante exsilium, et stante adhuc templo prioris, vaticinia sua ediderunt, et observat Rosenmüller. De patria, natalibus et familia Aggæi nihil constat. Sunt qui natum credant in Babylonia exsilio; migrasse vero Hierosolymam, a Cyro exsiliibus Judæis in patriam redeundi potestate facta : cum pluribus aliis tribubus potissimum Judæ, Benjaminis et Levi, nonnullis etiam et tribubus aliis, Zorobabele duce, tum ex Esdræ libro (cap. v, 1; vi, 4), tum ex ipsius vaticiniis colligimus.

Argu- mentum.

Aggæi ingens animus.

Tempus.

Partitio  
libri.

nes : tres primæ elidunt tres excusationes Judæorum de differenda templi fabrica; in quarta promittit Zorobabeli fabricam resumentem Christum ex ejus stirpe nasciturum, qui templum hoc sua præsentia, doctrina et miraculis decorabit, facietque gloriosius quam fuerit templum prius a Salomone ædificatum, ac thronum regni sui super omnia gentium regna, iis subactis sublimabit.

Mystice, Aggæus, inquit S. Hieronymus, Cyrillus et Rupertus, optat ut Jesus et Zorobabel, id est Jesus Christus Filius Dei, summus sacerdos, qualis fuit Jesus filius Josedec; æque ac summus princeps, qualis fuit Zorobabel, Dei domum, id est corpus, sibi et nobis in incarnatione ædificet.

Tropologicè, ut Deus sibi in anima fidei et sancta templum virtutum construat, inquit idem S. Hieronymus et Remigius.

An Ag-  
genstie-  
rit an-  
gelus?

Denique adeo illustris, sanetus et sapiens fuit Aggæus, ut Origenes illum, æque ac Malachiam et Joannem Baptistam, censuerit non fuisse homines, sed angelos incarnatos, ut refert Gabriel Vasquez I part. tom. I, disp. CLXXXV, num. 7, et alii; imo S. Hieronymus cap. 1, 13. Ratio Origenis erit, quia cap. 1, 13, Aggæus in Hebræo vocatur angelus: « Et dixit, ait, Aggæus nuntius (hebraice אַלְהָאֵלִים *malach*, id est angelus) Domini de nuntiis Domini. » Verum hic est error: certum enim est Prophetas omnes fuisse homines, non angelos. Aggæi vitam ita paucis describit Epiphanius lib. *De Prophetis, vita*: « Aggæus propheta juvenis admodum ex Babylone profectus est Hierosolymam, et ingenue de reditu populi vaticinatus est. Et oculis structuram templi Jerusalem vidit. Idem ibidem omnium primus cecinit Alleluia. Eodem igitur loci vitam finivit, et humo prope sacerdotis cum honore et gloria conditus est. Proinde etiamnum hodie psallimus Alleluia, qui hymnus Aggæi et Zachariæ perhibetur. » Eadem habet S. Dorotheus, qui et addit eum de Christo vaticinatum sub persona Zorobabelis, cap. II, 24, dum ait: « Ponam te quasi signaculum, quoniam te elegi, dicit Dominus; sicut et Joannes Evangelista dicit: Hunc enim Pater signavit Deus. » Accedit et Isidorus, qui et addit eum in Babylonia natum, juveniculum cum cæteris Judæis rediisse Hierosolymam. Catalogo Sanctorum ascriptus legitur Aggæus cum Osee in Martyrologio Romano die 4 Julii. Psalmos aliquos compositos esse ab Aggæo censent nonnulli, nimirum cxi, qui inscribitur: *Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ*; et cxiij, cujus pariter titulus est: *Alleluia, Aggæi et Zachariæ*. Idem titulus est psalmodum cxxvi, cxxvii et cxxviii in Græcis codicibus Septuaginta Vaticanis. Addunt aliqui psal-

Ejus  
Vita.

Psalmi.

mus cxxxvii, qui in iisdem inscribitur: *Psalmus ipsi David, Aggæi et Zachariæ*. Verum alii communiter censent hos psalmos non esse compositos, sed decantatos a populo redeunte e Babylone, præcinentibus Aggæo et Zachariæ; eo quod festivi sint et eucharistici, ideoque huic materia et júbilo populi reducitur congruunt, de quo plura in Psalmis. Quod audis Aggæum primum in Jerusalem cecinisse Alleluia, intellige primum a reditu e Babylone. Nam ante captivitatem in usu fuit Alleluia, ut patet ex psalmis, in quibus crebro resonat Alleluia: aut, quod primum post psalmos adjecerit Alleluia, ob latum e Babylone reditum (1).

(1) Quoad genus dicendi, quo usus est Aggæus, omnes fere erudit, qui de eo commentati sunt, inquit Joan. God. Scheibel (*Observationes criticae*, etc., ad vaticinam *Chaggæi*), nihil grave, nihil sublimis, imo nihil poetice dictum in ipso sermone invenerunt, sed trita omnia et jam ab aliis Prophetis sæpissime prolata contulerunt. (Vide Introductiones Eichorovi, Jahni, Augusti Bertholdti, de Wettii, Gesenii, *Hist. ling. hebr.*, et *Scholæ Baueri et Rosenmulleri*.) Verum ejusmodi scribendi genus narrationes vaticinibus plus semel inmixtæ desiderant, quid? quod nec desunt loci, qui ingenium poeticum satis testari videntur, ex. gr. cap. I, 6, 9, 10; cap. II, 5, 10, 22, 23. Negari quidem nequit, Prophetam iisdem imaginibus, que in aliis vaticinibus occurrunt, usum fuisse, sed vaticinia ipsa eorumque argumentum prioribus simile has ejus animo suppeditabant. Phrases sane poetice in nostro Propheta leguntur, que in prosaica dictione nunquam aut rarius saltem obvia fiunt, ex. gr. cap. II, 6, et 7, 17, 22. Malum tamen has inveniunt rationes phrasæ poeticas nominare: verba enim prosaica sunt et in historicis Hebræorum sæpius reperiantur. (Notandum pro versusum indicatione Scheibelum uno numero Vulgata numeros antecedere.)

De seriore autem temporis lingua, quam chaldaicis mixtam censent, in nostro Propheta omnino vestigia occurrunt, etsi pauciora, quam in Danielis, Esdræ et Nehemias, si cum ipso comparantur, libris. (Vide exempla in Prolegomenis Scheibel, pag. 17.)

Hi sunt præcipui interpretes, qui Aggæo illustrando peculiarem operam impenderunt. Ex catholicis: Joan. Eekii *Comment. super Haggæum*, Saltingiæ, 1538; Georgii Wicelii *Enarratio in Haggæum*, Maguntie, 1241; Joan. Mercerii *Scholæ et versus ad prophetiam Haggæi*, Parisiis, 1551; Thom. Nelli *Breves observationes in Comm. R. Dav. Kimchi in Aggæum*, etc., Parisiis, 1557.

Ex catholicis: Jac. Brocardi *Mystica et prophetica interpretatio... Haggæi, Zachariæ et Malachie*, Lugd. Batav. 1580; Jo. Jac. Grynæi *Commentarius in Haggæum*, Genevæ, 1581; Prii. Baldini *Commentarius in Haggæum, Zachariam et Malachiam*, Vitembergæ, 1610; Balthussæ Willii *Prophetia, Haggæus, Zachariæ et Malachias commentario illustrati*, Bremæ et Castellis, 1638; Ang. Varnii *Trofolium prophetiarum*, etc., Rostoch, 1662; And. Benbeckii *Expositiones in prophetam Haggæum*, Drunsæ, 1692; Daniel Pfeiffingeri *Note in prophetam Haggæi*, Argentor. 1709; Franz. Wikenii *Adnotationes exegetice in prophetiam Haggæi*, Lips. 1719; Jo. God. Scheibel *Observationes criticae et exegetice ad vaticinam Haggæi*, Uratislaviæ, 1822.

## CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Reprehendit Judæos intermitentes fabricam templi, ac dicentes necdum advenisse ejus tempus, eo quod Samaritæ illam impediunt, et Cambyses eandem prohibuisset. Docet enim hanc excusationem esse falsam, esseque protectum gignitæ, qua suis iudibus construerent templo: hanc enim suam voluntatem satis declarasse, cum ob neglectam templi fabricam immisit eis sterilitatem, famem et inopiam. Quamobrem hinc oraculo credentes Zorobabel, Jesus et populus, illico rem aggrediuntur (1).

1. In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetae ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda, et ad Jesum filium Josedec, sacerdotem magnum dicens: 2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. 3. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetae, dicens: 4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? 5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. 6. Seminastis multum, et intulistis parum: comedistis, et non estis satiati: bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti: et qui mercedis congregavit, misit eas in sacculum pertusum. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: 8. ascendite in montem, portate ligna, et ædificate domum: et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. 9. Respexitis ad amplius, et ecce factum est minus: et intulistis in domum, et excessuivi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. 10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum: 11. et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcumque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum. 12. Et audivit Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedec, sacerdos magnus, et omnes reliquæ populi vocem Domini Dei sui, et verba Aggæi prophetae, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: et timuit populus a facie Domini. 13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus. 14. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Juda, et spiritum Jesu filii Josedec, sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo: et ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

Vers. 1.  
Darius  
hic quis?  
Senten-  
tia pri-  
ma.

1. IN ANNO SECUNDO DARIÏ. — Quæres, quisnam hic Darius? Primo, Philo Anni, et eum seculi Genebrardus et Gerardus Mercator in *Chronol.*, ac Medus præcesserit Cyrus: nam Cyrus ei suo-

lianus lib. *Contra Judæos*, tit. *De Passione Christi*, censent esse Darium Medum. Verum hoc falsum esse liquet, tum ex aliis, tum ex eo quod Darius Medus præcesserit Cyrus: nam Cyrus ei suo-

(1) In quatuor sermones totam Aggæi prophetiam dividit Kilber. Paucis exprobratorius capite primo comprehenditur.

Primo, urget Propheta resumptionem fabricæ templi, primo, refutando excusationem omissionis operis sacri, ob molitionem operis profani interea susceptam, 1-4; secundo, indicando sterilitatem a Deo immissam, tanquam penam societatis in ædificando templo, 5, 6; tertio, diserte jubendo maturandum opus, 7, 8; quarto, militando eadem penam et ampliores, nisi mandato satisfiat, 9-11.

Secundo, subjicit effectum concionis præmissæ, scilicet primo, reverentia ad jussonem, timor ad minas, 12; secundo, fiducia concepta in Dei auxilio, 13; tertio, aggressio operis imperati, 14; quarto notatur tempus suscepti consilii et operis, cap. II, 1.

cessit, ut ait Daniel cap. v, 31. Aggeus autem prophetauit post Cyrum et Cambysen, ut patet I Esdr. iv, 5 et 24, et cap. v, 1. Cyrus enim concessit fabricam templi, sed eam prohibuit Cambyses. Unde post Cambysen sub Dario missus est Aggeus, qui eam rursus urgeret. Adde Darium hunc non fuisse Medum, sed regem Persarum; ita enim vocatur, I Esdræ iv, 24.

Secundæ. *Secundo*, Jansenius in *Concordia Evangel. cap. xix*, censet hunc Darium esse Artaxerxem Longimanum, sextum regem Persarum. Ratio ejus est, quia Judei, Joan. cap. ii, 20, aiunt hoc templum ædificatum esse 46 annis: hoc autem verificari nequit, nisi dicamus illud ædificatum sub Cyro (sub Cyro enim cepit) annis 20, sub Cambyse totidem, et 6 sub Dario Longimano. Verum hæc sententia confundit Darium cum Artaxerxe: hic enim dictus est Longimanus, non ille, et Darius quartus fuit Persarum rex; Longimanus vero fuit sextus. Dario enim successit filius Xerxes, Xerxi Artaxerxes. Adde Cambysen non regnasse 20 annis, sed ut summum octo. Denique usque ad Longimanum vivere nequivit Aggeus, Zorobabel et ceteri, de quo mox plura.

Tertiæ. *Tertio*, Severus Sulpitius lib. II *Histor.*, et Scaliger in *Emend. tempor.*, censent hunc Darium esse Darium Nollum, qui fuit filius spurii Artaxerxis Longimani, ita ut Artaxerxes qui I Esdræ, cap. vii, cum sequitur, misitque Esdras in Jerusalem, fuerit ille qui cognominatus est Mnemon, id est memor, a memoria præstantia. Hic enim successit Dario Nolho. Verum hoc est incredibile. Sic enim Esdras fuisse ducentorum fere annorum, ut Scaliger coactus faleret: Zorobabel et Jesus, qui sub Cyro populum e Babylone reducerunt in Jerusalem, fuissent 140 annorum, cum tamen lib. III Esdræ, cap. iii, 4, Zorobabel vocetur adulescens, unus e custodibus Darii. Ejusdem ætatis fuisse Aggeus. Rursus ex hac sententia sequitur neminem eorum qui viderant primum templum Salomonis, quod a Chaldeis 70 annis ante laxationem captivitatis per Cyrum, fuerat eversum, potuisse videre secundum a Zorobabele ædificatum, post reditum e captivitate sub hoc Dario: cuius tamen contrarium significat Aggeus cap. ii, 4. Id sequi patet. Adde enim 70 annis captivitatis tres annos Cyri, octo Cambysis, 36 Darii Hystaspis, viginti Xerxis, quadragesima Artaxerxis, cui successit Darius hic Nolhus, confabris annos 177, quot nemo ea ætate vixit.

Quarta veræ. Dico ergo Darium hunc fuisse Darium Hystaspis, qui Assuero, sive Artaxerxi, ut habet Esdras, hoc est Cambysi, in regno Persarum successit, non ut filius, sed a satrapis electus per hincitum equi. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Albertus Eusebius in *Chron.*, Josephus lib. XI *Antiq.* iv, Clemens Alexandrinus lib. I *Strom.*, et alii passim. Anno itaque Darii hujus 2, jubente Aggeus, cooperunt Judei resumere fabricam templi, eamque perfecerunt anno 6 ejusdem, ut ait Esdras

lib. I, cap. vi, 14, scilicet quoad Sanctum et Sanctorum sanctorum. Nam atrium, sive exterior pars templi, et per consequens totum templum quoad omnia, consummatum fuit anno ejusdem 9, uti disertè testatur Josephus loco citato (1).

Moraliter, nota hic cor regis esse in manu Dei, ut illud flectat quocumque liberit, uti flexit hic cor Darii ad amorem Judeorum et curam templi, eo quod Judei jam captivitate 70 annorum afflicti et compuncti, ad Deum rediissent, ejusque opem penitentes et supplices invocassent, sicut ex adverso olim flexerat cor Nabuchodonosoris ad eorum odium et castigationem; eo quod ipsi a se aversi idola colerent, et imple viverent. Unde discimus ad Deum esse recurendum, cum a tyrannis opprimimur; rursus eum esse rogandum, ut principes sapientes, moderatos, pios et justos vel constituat, vel jam constitutos efficiat. A principibus enim ecclesiasticis pendet Ecclesia, a secularibus republica. Multi censent Darium hunc fuisse maritum Esther, ideoque tam benevolunt existisse Judeis, ac sumptus præbuisse templo, de quo in lib. *Esther*.

Porro notant S. Hieronymus in *Prologo*, R. David, Vatablus et alii, Aggeum vaticinatum esse anno secundo Darii, hortatumque Judeos ad restaurandum templum, quia hoc anno 2 finiebatur 70 anni desolationis templi, de quibus Zacharias cap. i, 12. Anno enim 18 Nabuchodonosoris, qui fuit Joakim undecimus et ultimus, finitur anno primo monarchiæ Cyri. Quocirca 70 anni desolationis templi, sicut 41 annis post eosdem desolantur, ita et 41 annis post eosdem desolantur. Adde enim tres annos Cyri, quibus quasi monarcha regnavit post captum Babylonem et laxatam captivitatem Judeorum, deinde 7 Cambysis, mox 2 Darii, habebis annos 41 completos, sed 42 inchoatos. Verum hæc de re disputandum *Zachar.* cap. i, 12.

IN MENSE SEXTO. — Nota: Hebræi duplicem habebant annum, ideoque dupliciter numerabant festa. *Prior* annus erat sacer, quo utebantur ad mensa et res sacras: unde eo utitur S. Scriptura.

(1) Cum populus Judaicus suis dudum careret regibus, eorum non poterant amplius anni notari, sicut ante eisdem a Chaldeis regnum Indiatum in vaticinium inscriptionibus fectat. Postquam vero Babylonicum regnum in Persarum venisset potestatem, ipsi etiam Judei a Chaldeis deportati in eorum transierant imperium, nec per concessam ipsis a Persarum regibus libertatem in patriam rediendi veterisque republice formam instaurandi erant illorum potestati subditi, sed ac eorum gratia pendebant. Hinc tempus editi oraculi ab Aggeus describitur secundum Persarum computandi rationem ab eorum regibus petitam. Quod ipsum observat Rosenmuller post S. Hieronymum.

Hic initium sumebat ab æquinoctio verno, ita ut primus ejus mensis esset is, cujus novilunium proximius erat æquinoctio verno. Hebræi enim utebantur mensibus lunariibus, ac consequenter anno lunari, qui undecim diebus minor est anno solari; quem tamen tertio quoque anno per intercalationem, sive additionem unius mensis, sequabant anno solari, quo Romani alique gentes utebantur, utiis se conformarent. Primus ergo mensis anni sacri erat nisan, qui prisco Romanorum martio respondebat, jam vero nostro partim martio, partim aprili respondet. Nisan enim erat mensis paschalis, quo scilicet pascha celebrabant, in memoriam liberationis et exitus ex Ægypto, quæ illo mense olim contigerat; de quo proinde ita sancit Deus *Exod.* cap. xii, 2: « Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. » Vide ibi dicta. *Posterior* annus erat profanus, sive vulgaris, quo utebantur ad commercia et res civiles. Hic inchoabatur ab æquinoctio autumnali, ita ut primus ejus mensis esset is, cujus novilunium proximius erat huic æquinoctio, qui hebraice vocabatur *Ethanim*, id est fortis et potens, scilicet frugibus et fructibus, Chaldaice *Tisri*, ac veteri Romanorum septembris respondebat: jam vero nostro partim septembris, partim octobri respondet. Ita Josephus lib. I *Antiq.* cap. iv, Hieronymus in cap. I *Ezech.*, et alii.

Jam Lyranus et Vatablus mensem sextum hic intelligunt anni vulgaris, non sacri, nimirum mensem nisan sive martium: ille enim apertissimus est ad fabricas inchoandas, et usque ad hilem per multos menses continuandas. Verum dico annum hic accipi sacrum, qui incipit a nisan, ac consequenter mensem sextum esse *Ethul*, qui Romanorum sextili sive augusti, christianorum vero partim augusti, partim septembris respondet. Ita Josephus lib. I *Antiq.*, cap. iv, Remigius, Albertus, Hugo et alii, imo S. Hieronymus, qui asserit sextum mensem electum ad fabricam, non septimum; eo quod septimus plenus esset solemnitatibus. In tisi enim, sive in septembris, celebrabantur festa Tubarum, Tabernaculorum, Expiationis, etc., quibus operari et fabricare non licebat. Id ita esse patet ex eo quod Scriptura utatur anno sacro: unde eo utitur Zacharias, cœvus et socius Aggæi, cap. i, 7; et cap. vii, 1: « In anno quarto, ait, Darii regis, in quarta mensis noni, qui est Casleu. » Casleu enim est november. Et Esdras cap. vi, 14, cum narretet Judeos obediētes Aggeus ædificasse templum, illudque consummasse anno 6 Darii, die 13. mensis adar, id est februarii, mox subdit vers. 19: « Fecerunt autem pascha decima quarta die mensis primi, » *q. d.* Post fabricam templi absolutam in februario, mox sequenti mensis celebratur pascha, puta in nisan, sive martio, qui primus erat mensis anni sacri, non profani.

Quin et Aggeus ipse idipsum indicat cap. ii, 19, dicens: « Ponite corda vestra ex die ista, et in futurum, a die vigesima et quarta noni mensis: a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, etc. Numquid jam semen in germine est? » Semen autem in Palestina germinare solet in novembri. Is ergo nonus est mensis a nisan, sive martio, qui proinde primus est anni, scilicet sacri, non vulgaris. Licet enim fabrica in genere esset res profana et servilis, hic tamen erat rei sacræ, puta templi: unde rebus sacris in computu mensium annumeratur. Ad rationem Lyranum respondendum, Aggeum monuisse et movisse Judeos ad fabricam templi in augusti, non in martio; quia in augusti tempus est messis et frugum, quo Judei augere raritatem experiebantur: unde tunc ex re nata erat tempus maxime congruum et opportunum Aggeus concionari, et assignare causas hujus sterilitatis, nimirum neglectum fabricæ templi, itaque illos ad eam æspandam incitare.

Idem facit concionator, ut, cum pestis, morbus, bellum, aliaque publica clades a Deo infligitur, tunc populum afflictum et percussum acrius pulset, incitetque ad penitentiam, et vitiorum inolitum seriam emendationem, proponendo eis strages et plagas, quas ob ea Deus immitit, quasque ipsi valde sentiunt, ac ostendendo unicum esse remedium eas evadendi, si Deo se reconcilient, moresque corrigant. Insuper destinabat Deus fabricæ templi augustum: quia destinabat illam finire 4 anno, puta anno 6 Darii, in februario, ad hoc, ut sequenti mense martio posset in eo celebrare pascha, uti Judeos fecisse et celebrasse docet Esdras lib. I, cap. vi, 13. Porro hiems in Judæa, regione calida, est modica, æque ac Romæ, ubi perenne quasi est ver, ut ait Virgilius II *Georg.*; unde fabricas non remoratur. Sciebat ergo Deus hoc tempus præcise requiri, et sufficere ad consummandam templi fabricam.

IN DIE UXÆ. — Id est prima. Sic enim sepe numerus cardinalis sumitur pro ordinali, puta uno pro primo, ut dixi *Genes.* i, 5. Cepit ergo Aggeus propheta et hortari Judeos die prima mensis augusti, itaque Judeos promovit, ut mox, puta post 23 dies, die 24 ejusdem mensis fabricam inchoarent, uti dicitur cap. ii, 1. Ita S. Hieronymus.

Moraliter, adverte annum, mensem et diem quo verbum Dei excepit Aggeus, tam disertè ab eo notari, ut discamus quanti Dei verba, inspirationes et monita interna externaque facere debeamus, quibus ipse nos ad fabricam sublimiorem templi spiritualis in anima nostra excitat et impellit; adeo ut et diem et horam qua ille nobis suggeritur, studioso annolare par sit: uti multos sanctorum ea annotasse legitimus, memores Deum accuratam annorum rationem a nobis exacturum in hora mortis et in die judicii. Ita a Castro.

IN MANU AGGÆI. — Id est per Aggeum, opera

et ministerio Aggæi. Manus enim cum sit organum organorum, sumitur pro organo, sive instrumento. Propheta ergo vocatur manus Dei: quia per eos quasi per manus, Deus negotia sua tractabat et consuebat, sequè populo exhibebat, imò depingebat, juxta illud *Osee* cap. xii, 10: « In manibus Præphetarum assimilatus sum. » Ita Theodoretus et Lyranus.

Mystice, « in manu: » quia Aggæus non tantum lingua et sermone, sed et manu, id est opere sanctæque vita et exemplo, prophetavit. Ita Nazianzenus orat. 40 in *S. Baptisma*, per manum Propheta, vitæ probitatem accipit, quasi ea tanta fuerit, ut illa meruerit prophetiam: probis enim actionibus, inquit ibidem Nicetas, meruit Propheta verbum Dei in fidem accipere, quasi magnum thesaurum suæ fidei conceditum ad populi usum expendendum, ut tanquam fideli dispensator et prudens, « quem constituit Dominus super familiam suam, det illis in tempore titell mensuram, » *Luce* cap. xii, 42. Ita Haymo et Hugo, imò S. Hieronymus: « Si voverimus, ait, in nobis fieri sermonem Dei, sicut Aggæi, id est festa celebrantes, et non appareamus in conspectu Dei Vacui: seminantesque in spiritu, de spiritu metant vitam æternam, ut celebremus solemnitatem primitivorum de operibus nostris. » Sic Jesus prius manu cepit facere, deinde ore docere, *Actor* cap. i, 4. Jesu secuti sunt Apostoli et viri apostolici, quorum proinde conio est efficaç, qui ex corde procedens ad cor audientium loquebatur; ac quod docebat verbo, monstrabat exemplo: quod enim secus faciunt quam dicunt, sunt ac sonans et cymbalum tintinnans; aerem verberant, non corda sauciant. Latronem de justitia, incestum de castitate, ebrium de sobrietate disputantem ridemus et aspernamur: ita et quemvis ea patrantem vel appetentem, quæ vitanda proclamant.

Præclare S. Bernardus serm. 48 in *Cant.*, septem gradus ad suggestum requirit. *Primus* est, contritio; *secundus*, devotio; *tertius*, penitentia labor; *quartus*, pietatis opus; *quintus*, orationis studium; *sextus*, contemplationis otium; *septimus*, plenitudo dilectionis. S. Gregorius lib. X *Moral.*: Docere, ait, et non facere, non solum nihil lucet, sed etiam damni plurimum affert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, sed opere negligenti. Idem, lib. V in *lib. I Reg.* cap. xiv: « Quid est, ait, quod apparere Jonathas Philistæis cum armigero dicitur, nisi quia doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios contendit edocere? » Idem, lib. XXI *Moral.* cap. viii: « Doctoris, inquit, progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum neatur; quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. »

Imò Aristoteles asserit ab his qui non perinde vivunt ut loquuntur, tolli et interim veritatem. Seneca autem: Nullus, inquit, pejus mereri deo

Gen-  
tium  
geom.

omnibus mortalibus judico, quam qui philosophum velut aliquod venale artificium didicerunt, qui aliter vivunt quam vivendum esse præcipiunt. Exempla enim inutilis discipline circumferunt: doctores sunt humilitatis, sed duces superbie: ore laudant humilitatem, obedientiam, resignationem, charitatem, ut utilem, facilem, jucundam, sed factis contrarium, longèque potentius inculcant; quocirca tam verbis facta, quam factis verba sua condemnant, ac contra se præferunt sententiam, ideoque in die judicii toties ex ore suo judicabuntur, quoties alios ad humilitatem, charitatem, etc., hortati fuerint: « Propter quod, inquit Apostolus *Rom.* cap. ii, 1, inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicās; in quo enim iudicās alterum, teipsum condemnas. » Quare, inquit Dominus, enarrasti justitias meas, et assumpsisti testamentum (legem) meum per os tuum? tu vero oderas disciplinam, et cum adulteris portionem tuam ponebas, *Psal.* XLIX. Denique Christus Dominus *Matth.* cap. v, 19: « Qui fecerit, inquit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum. »

Ad ZOROBABEL FILIUM SALATHIEL. — Dices: Zorobabel fuit filius Phadaia, ut patet *i Paral.* cap. iii, 17; quomodo ergo hic dicitur filius Salathiel? *Primo*, S. Hieronymus, *Quæst. in Paral.*, respondet Salathielem fuisse binominum, et aliò nomine vocatum Phadaiam. Verum eo loci Scriptura hosce duos distinguit, facitque diversas personas; ait enim vers. 17: « Filii Jechonia fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, » *Secundo*, Valadaam censet Zorobabel patrem habuisse Phadaiam, avum vero Salathielem: vocari ergo hic ejus filium, id est nepotem. Unde locum *Paralip.* jam citatum sic ex Hebræo vertit: *Filii Jechoniae Asir, et Salathiel filius ejus, Melchiram quoque et Phadaia*, sicque exponit, *q. d.* Filii, id est posteri, Jechoniae fuerunt hi, Asir, cujus filius fuit Salathiel, qui fuit pater Melchiram et Phadaia. Verum obstat quod in *Paralip.* taxatur genealogia patriarcharum Israel presse et præcise: voce ergo *filii*, proprie dicti et proximi tibi intelliguntur, non nepotes et posterii (1). *Tertio*, Arias respondet Zorobabel filium naturalem fuisse Phadaia, sed adoptatum a Salathiele. Verum *Matth.* cap. i, 12, expresse dicitur: « Salathiel genuit Zorobabel, » fuit ergo ejus pater per generationem, non adoptionem.

Dico ergo Phadaiam fuisse fratrem Salathielis, ex Jechonia patre, ut patet ex verbis *Paralip.* jam citatis, ac proinde utrumque filio a se genito idem imposuisse nomen, Zorobabel, ut fratres facere solent, conjunctionis et necessitudinis ergo.

(1) Juxta Ackermann, omisit Propheta patrem Zorobabel quod is fors non celebris fuerit, et miserrimum avum, id quod Orientales crebrim in genealogiis faciunt. Alii ob *Matth.* i, 12; *Esdræ* ii, 2, 8; v, 2, duos distinguunt Zorobabel, unum Salathielis, et alterum Phadaia filium.

Zorobabel cujus filius?

Zorobabel ergo noster filius Salathiel, alius est a Zorobabele filio Phadaia; ille enim hujus est patris, sive consobrinus: unde et diversi utriusque filii memorantur: ille enim genuit Abiam, *Matth.* cap. i, 13; hic vero genuit Mosellam et alios, qui recensentur *i Paralip.* cap. iii, 19.

Ergo Zorobabelis quatuor.

Symbolice, Zorobabel dicitur est *primo*, quasi *zara* *babel*, id est satus et genitus in Babylone, inquit S. Hieronymus. *Secundo*, *q. d.* *zara* *babel*, id est iste magister, vel princeps in Babylone. Ita idem. *Tertio*, *q. d.* *zara* *babel*, id est dispergens Babylonem, id est confusionem: vel quasi *zara* *babel*, id est expressio, aut caleatio, aut ventilatio, aut alienatio confusionis, inquit Pagninus in *Interpr. nomin.* Hebr. Sicut enim Josue ex deserto, ita Zorobabel ex Babylone Judæos reduxit in terram promissam. Unde uterque fuit typus Christi, qui nos a confusione peccati ducit ad Ecclesiam militentem et triumphantem. *Quarto*, addit S. Hieronymus, Zorobabel hebraice idem esse quod fluxus adjacens, cui contrarius est Jezabel, id est fluxus vana, vel fluxus menstruata, qui immuniditatem sonat; sicut et Zabulon fluxus nocens interpretatur. Relinquentes ergo, inquit, fluxum mundi, vanaum, sordidum et tenebrosam, sequamur fluxum Jesu, qui nobis expositus ad ibendum, e largissimo fonte se præbet, dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Et hinc poterimus hibernere, cum poterimus a Patre, juxta id quod legitur: Petite, et dabitur vobis. Salathiel quippe interpretatur petitio Dei. Hucusque S. Hieronymus.

DUCES JUDÆ. — Desiit regnum et stirps regia Judæ in Jechonia rege, qui fuit pater Salathiel et avus Zorobabel. Unde de eo audivit a Deo Jeremias, cap. xxxii, 30: « Scribe virum istum sterilem. » Causam subdit: « Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David. » Porro Salathiel mortuus est in Babylone ante solutam captivitatem. Judæi ergo, data libertate per Cyrum, redeuntes in Judæam, ducem sibi constituerunt ejus filium, puta Zorobabel, æquæ æs Jesum filium Josedece pontificis, teste Josepho lib. XI *Antiq.* iv, et innuit hoc Aggæus. Porro ibi dicitur, id est in dignitate et præminentiâ ducali, potius quam in regimine et imperio (nam regnum summum et ducate erat penes pontifices, inquit Josephus, et ex eo S. Hieronymus in locum citatum Jeremias) successerunt ei filii et posterii usque ad Christum. Unde Nehemias cap. v, 13: « Duces primi, inquit, qui fuerunt ante me, gravaverunt populum. » Ita S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. XLV, Cyrillus lib. VIII *Contra Julianum*, Ambrosius lib. III in *Lucam*, Justinus *Contra Tryphonem*, Eusebius lib. III *Demonstr.* cap. ii, et alii.

ET AD JESUM, FILIUM JOSEDEC, SACERDOTEM MAGNUM, — id est summum, puta pontificem. Sarranis enim pontifex, qui in excidio Hierosolymæ occisus est a Nabuchodonosore, IV *Reg.* cap. XXV,

vers. 18, genuit Josedece, et Josedece Jesum, *i Paral.* cap. vi, 14 (1). Porro Esdras pariter filii Saraiæ pontificis, ac consequenter frater Josedece, et patris Jesu. Ex Jesu prognatus est Joseda, sive Jaddus, *i Esdræ* cap. xii, 10, quem veneratus est Alexander Magnus, teste Josepho. Jesus hic in pontificatu nomine et sanctitate, æquæ ac in reductione populi, fuit typus Jesu Christi. Unde a Zacharia cap. viii, 4, vocatur « sacerdos magnus, » visusque est cum angelo ad inclam stare contra Satanam. Sic omnes antistes Christo comparati, parvi sunt, typi et umbrae duntaxat, imò nihil, ait S. Hieronymus. De utroque sic scribit Ecclesiasticus cap. XLIX, 13: « Quomodo amplificem Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextra manu, sic et Josue filium Josedece? qui in diebus suis edificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloria sempiternam. » Eandem laudem jure tribuamus hodie similibus piis principibus, qui templa et monasteria construnt et dotant, ut in iis Deus a multis colatur et celebretur.

Porro tres prelati insignes nomen Jesu adepti sunt, lique in triplici statu principes, scilicet *primus*, Josue, qui fuit dux populi in terram promissam; Josue enim idem quod Josus: unde Jesus vocatur a Septuaginta, Philone et Græcis. *Secundus*, Jesus filius Josedece summus pontifex. *Tertius*, Jesus Strach, auctor Ecclesiastici, doctor Synagoga. Hi tres typi fuerunt Jesu Christi, ejusque triplicem prælatorem adembraverunt: Christus enim est summus, *primus*, Princeps; *secundus*, Pontifex; *tertio*, Proprieta et Doctor Ecclesie: unde est filius Josedece, id est justitiæ Dei. Ipse enim est justitia sempiterna, ut ait Daniel cap. ix, 14, qui justificat impios, et in justitia judicat pauperes et mansuetos terras, *Isaia* cap. xxi, 4. Porro, sicut Jesus cum Zorobabel readificavit templum a Chaldeis destructum, ita Jesus Christus readificavit in resurrectione templum corporis sui a Judæis excisum et occisum, uti ipse sic prædixit *Joan.* cap. ii, 19: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Cumque Judæi, non intelligentes mentem et templum ejus, replicarent: « Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? » respondet Evangelista, subditque: « Ille autem dicit de templo corporis sui, » a se restaurandum in resurrectione. « Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crederent scripturæ et sermoni quem dixit Jesus; » quia cum jam videbant impletum. Simili modo restauravit Christus templum mysticum et politicum, puta Ecclesiam infidelitate et gentilitio destructam.

2. POPULUS ISTE, — cui vos, o Zorobabel, et

(1) Semper in nostro libello, ut apud Esdram et Nehemiam, observat Scheibel, cum Zorobabe conjungitur Jesus, quoniam hi tres antistes totius populi, respiciunt et religionis fuerunt.

Tres Jesus typi Jesu Christi tripliciter.

Vers. 2.

Jesu prasiditis. Nota : propheta sermonem dirigit ad principes, et tamen directe non eorum, sed populi scordiam accusat, tum ut eos coram populo honorat, doceatque eorum peccata publice non esse carpenda, sed privatim, ne et eis auctoritas adimatur, et populus ad ipsis rebellandum concitetur; tum ut ostendat directe hanc culpam fuisse populi, quem coram principibus suis arguit, ut iis quasi testibus oculatis convictus erubescat, pœniteat et obediât Deo, inquit Theodoretus; indirecte vero hanc culpam afflare ipsos principes, utpote quorum sit populum ad opus hoc Dei urgere. Raro enim praelatus liber est a culpa subditorum, eo quod vel illi consentiat, vel dissimulet, et cum possit non coercere, inquit ex Alberio noster a Castro : nonquam exigua vel nulla hic fuerit culpa Zorobabelis et Jesu, ut mox patebit et assertit S. Hieronymus, Theodoretus, Arias et Vatablus. Imitentur hoc concionatores, ut, cum publicum reipublice vitium coram magistratu accusant, directe non ipsum, sed populum accusent; hoc ipso enim sat intelligit magistratus, indirecte se quoque accusari, quidque sui sit muneris et officii animadvertit; nec indignatur, sed laudat concinatoris prudentiam, modestiam et reverentiam, utpote qui ipsorum honori consulat, ipsisque animos et auctoritatem addat, ad hoc vitium e reipublica exstirpandum.

NONDUM VENIT. — Dicunt id, tum quia videbant Sanaballat et Samaritas apud Cyrum et Cambyssem, heucusque fabricam templi impedivisse : hinc versi in scordiam, illam neglexerunt : ita S. Hieronymus, Theodoretus, Lyranus et alii; tum quia 70 anni desolationi templi a Deo præstituti, ne dum erant evoluti, inquit S. Hieronymus et R. David, quos citavi vers. 1. Hi enim 70 anni finiti sunt anno 2 Darii, quo hæc vaticinatus est Aggæus.

Historia Zorobabelis apud Darium. Ubi nota historiam rei gestæ, que magnam hinc loco lucem affert, narrari lib. III *Esdrae*, cap. IV, 42 et seq., nimirum, quod Zorobabel cum duobus sociis custos corporis Darii, coram illo proposuerit problema, quidnam esset in orbe fortissimum; ac primus eorum responderit : « Forte est vinum; » secundus, « fortior est rex, » tertius, puta Zorobabel, « fortiores sunt mulieres, fortissima autem est veritas. » Hic ea de re perorando, tulit palmam. Unde a Dario jussus pelere quidquid vellet (se enim daturum), petit ut rex votum olim a se nuncupatum exsolveret. Votum hoc erat, se, si rex crearetur, templum Deo in Jerusalem edificaturum. Darius osculatus eum annuit, eumque cum Judeis remisit in Jerusalem cum presidio mille militum, deditque litteras ad præfectos, ut fabricam templi jurent, et datis sumptibus curarent. Rediit ergo e Babylone Hierosolymam Zorobabel anno secundo Darii, mense 1, puta nisan, ut dicitur III *Esdrae* cap. v. 6, copitque populum hortari ad fabricam templi. Verum cum populus præteritarum diffi-

cultatum memor, non satis crederet Zorobabeli assenti Darium favere, imo jubere fabricam templi, ideoque per sex menses usque ad augmentum opus distulisset, cepit Aggæus eodem mense 6 vaticinari, ac eorum diffidentiam et negligentiam accusare, hortarique ut opus inchoarent, Deum enim id velle : unde cum affuturum, et curaturum ut nec Darius, nec Samaritæ, nec quis alius opus impediret. Propheta credidit populus, præsertim cum ex novis Darii litteris, quæ recitantur I *Esdrae* vi, cognovit Darium prorsus idem velle. Quare strenue opus aggressus, illud perfecti post quatuor annos et quinque menses, puta mense adar, id est februario, uti ibidem enarrat *Esdrae*.

Tropologie cum quem lapsum videris cogitare de penitentia : « Ut edificet, ait S. Hieronymus, templum per pudicitiam, quod per libidinem ante destruxerat, et tamen diem de die trahere, die ad eum : Vere et in es de populo captivorum, et tu dicis : Nondum venit tempus domus Domini edificande. Qui semel decrevit instaurare templum Dei, huic omne tempus aptum est ad edificandum, nec rex diabolus potest impedire, nec hostes per circuitum, nec pietas simulata parentum, affinium, liberorum : statim ut conversus inclamaverit nomen Domini, dicit : Ecce adsum. » Et inferius : « Omne tempus quo habitatio vallis (alludit ad Septuaginta qui pro domibus laqueatis, vertunt, convallibus) eligitur, vel servimus deliciis, importunum est. Unde et stoice dixerunt tempus esse correctionis. Omne enim tempus, in quo non virtutibus, sed vitiis deservimus, perit, et quasi non fuerit reputatur in nihilum. Si quis ergo de nobis vel in convalle habitat, vel in voluptate et luxuria seculari suam consignat domum, iste templum Deo non edificat, nec habet Dominus in eo tibi caput suum reclinet. » Omne ergo tempus nobis debet esse mensura motus, non quietis; negotii, non otii, virtutis, non vitiis : alioqui perditur irrecuperabiliter, et cum ipso otio vitioque perit, imo puniunt acriter. Sic Barlaam apud Damascenum in *Histor.* roganti Josaphat, quoniam esset anorum? respondit 43; quia licet, inquit, 70 vixerim, tamen 43 tantum Deo vixi : unde hos solos annos vite computo, cæteros quos in vanitate transigi, mortis fuisse censeo, ideoque eos non numero, quos me perdidisse æstimo et deploro. Idem viderunt Gentiles. Theophrastus semper habebat in ore : « Nullum esse sumptum pretiosorem tempore. Solum enim hoc recuperari non potest, et tamen vulgo nihil vitius habetur tempore. » Ita Laertius lib. V. Simonides interrogatus : « Quantum temporis vixisset? » « Tempus quidem, ait, exiguum, annos autem multos. » Ita Slobæus *serm.* 96, et Plutarchus in *Vita Antonii* : « Temporis, ait, jactura damnosissima. » M. Varro dicere solebat nullam jacturam esse graviorem, præsertim scienti, quam temporis. Seneca ad

Tropologie.

Tempus est mensura, non otii, sed negotii.

Genome de pretio temporis.

Lucil. : « Omnia, mi Lucili, aliena sunt; tempus tantum nostrum est : in hujus rei unius, fugacis ac lubricæ, possessionem natura nos mittit. » Ovidius :

Utendum est ætate, cito pede labitur ætas,  
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Merito ergo monet Sapiens : « Fili, conserva tempus, et devota a malo, » *Ecl.* cap. iv, 23. Et Apostolus : « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, » *Ephes.* cap. v, 15. Vide ibi dicta.

Vers. 3. 3. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI — Videtur hic esse nova propheta ad populum, cum prior fuerit ad principes, uti censent S. Hieronymus, Arias et Vatablus, ut potius prioris continuatio. Priori enim nihil vaticinatus est, sed tantum recensuit dictum populi, scilicet nondum esse tempus edificandi templi. Huic dicto hic vaticinando respondet, illudque confutat; atque ut confutationi sua pondus addat, repetit iteratque se hæc non fingere, nec edicere ex suo cerebro; sed ex mente et ore Dei, præsertim quia ipse juvenis erat. Nuper enim redierat juvenculus Babylone, ut ait Epiphanius in ejus Vita. Eadem de causa Propheta in suis minis et oraculis crebro iterant et inculcant illud : « Hæc dicit Dominus, » qua re moraliter docent quanti Dei verbum facere, quamque ab ore Dei pendere debeamus, ut illud jugiter in ore habeamus, illud revereamur, illud ruminemus, eructemus et celebremus, cum illo perpetui dissuaviamur. Propheta ergo non est hominis, sed Dei verbum et oraculum.

Vers. 4. 4. NEMQUID TEMPUS VOBIS EST UT HABITETIS IN DOMIBUS LAQUEATIS, ET DOMUS ISTA DESERTA? — Hic incipit prima Aggæi propheta, « laqueatis, » id est fornicatis, concameratis, fornice sive testudine tectis : hoc enim significat hebr. שֶׁפְּתִימִים *sephetim*; Chaldaeus, *que tecto sunt tabulatis cœstrinis*; Septuaginta *κακοκόμους*, id est *concaris*, aut potius, ut S. Hieronymus interpretatur, *deorsum positæ et in convalle demersæ*; Ambrosius lib. III, *epist.* 12, vertit, *calatis*. Solent enim fornices domorum illustrium et templorum variis picturis et celaturis exornari, uti Romæ in plerisque basilicis factum videmus. Est argumentum a minori ad majus, q. d. Vobis suppetit tempus, animus et sumptus ad construendas vobis domos, non tantum necessarias, sed et delicatas ac pretiosas, puta celatas et laqueatas : ergo multo magis tempus, animus et sumptus vobis suppetere debet ad edificandam domum Dei, quæ plane diruta est. Vultisne ut Deus habitet in pavimento ventis et pluvias exposito, vos vero in domibus egregie et eleganter tectis? Itane vos vestra commoda Deo antefertis? Itane sinitis eum degere incommodissime, dummodo vos laute degatis et vivatis? « Itane habitaculum meum, in quo fuerunt Sancta sanctorum, et Cherubim, et men-

sa propositionis, pluvias rigabitur, squalebit solitudine, æstu torrebatur? » ait S. Hieronymus.

Docet hic Deus fidelibus primam debere esse curam templi et sacrorum, ac cum republica vel urbs nova erigatur aut restauratur, primum erigendum esse templum, et cultum Dei stabilendum. Ita fecit Salomon, qui prius edificavit domum Deo, deinde sibi, III *Reg.* cap. vi, 1, juncto cap. vii, 1. Ita et David *Psa/m.* cxxxii, 3 : « Si introiero, ait, in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei : si dederò somnum oculis meis, et palpebris meis dormitionem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. » Ita Moses in Sina formans rempublicam et Ecclesiam Hebræorum legibus a Deo acceptis, ante omnia fabricavit tabernaculum, quasi mobile templum Deo, cum arca, Cherubim, etc., idque jussu Dei, *Exod.* cap. xxv et sequent. Ita Constantinus Magnus imperator, mox ut imperium ante gentilitium, nunc christianum, christianus ipse administrare cepit, ante omnia basilicas augustissimas, Lateranensem S. Salvatoris, Vaticanam S. Petri, Ostiensem S. Pauli, Veranam S. Laurentii, aliasque plurimas Deo in honorem Sanctorum hædificavit. Illum in hac pietate secuti et æmulati sunt ejus successores, Gratianus, Theodosius, Honorius, Marcianus, Carolus, etc., qui proinde opibus, victoriis, regnis a Deo dotati et dilatati feliciter, æque ac juste et religiose imperium administraverunt, illudque firmanunt et amplificaverunt.

Idem lumine et duce natura viderunt Gentiles, licet eo ad sua idola, utpote idololatræ, abusi sint. Romulus Romæ conditor, cum primis urbis fundamentis, templa Jovi Statori et Feretrio dedicavit, teste Livio lib. I. Numam Pompiliam qui Romulo successit, scribit Plinius *De Viris illustribus*, cap. II, ferum populum « religionis institutione et utilibus legibus domuisse, regnumque ita firmasse, ut pendente ejus regno nemo illi bellum moverit. » Romanus vero Senatus, inquit Marcus Varro, ita magni religionem fecit, ut quotiescumque a magistratu coactus ille esset, hoc ipsum quod primo proponeretur, ad religionem pertineret, nullaque quamquam gravior causa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteverteret. Nimirum eo respectu, quod « religio et timor Dei solus sit, qui custodit hominum inter se societatem, » ut ait Lactantius lib. *De Ira*, cap. xii, « quodque omnia prospera eveniant colentibus Deum, adversa spernentibus, » ut ait Livius lib. V. Hinc Cyrus apud Xenophontem, lib. VIII, Cambysem filium admonet, ut nihil publicum vel privatum agat, nisi prius ad Deum confugerit (notent hoc et imitentur principes christiani), et nisi prius ejus voluntatem agnoverit : quia mundus, inquit, erroribus est repletus; Deus vero, ut qui semper fuit, presentia, præterita et futura agnoscit et moderatur : atque invocatus preces exaudit eorum qui religionem

In fabrica urbis primo erigendum est templum.

Idem fore core Gentiles.

et pietatem colunt, ac multis signis eis quid agere debeant, ostendit; quocirca Cicero, lib. I *de Natura Deorum*: «Pietate, ait, erga Deum, sublimata, fidem et humani generis virtutatem tolli necesse est, et pietatis virtutum omnium excellentissimam.» Et Silius lib. IV:

Prima scelorum causa mortalibus agris,  
Naturam nescire Deum.

Eventus  
templa  
evan-  
terant  
respubli-  
cas.

Ex adverso temporum et sacrorum eversores everterunt pariter rempublicam, æque ac se suamque stirpem. Antiochus Epiphanes, templi Jædorum profanator, fœda lue a Deo percussus, sero Numinis vindictam agnovit, dixitque: «Justum est Deo subijci, et mortalem paria Deo non sentire, II *Machab.* cap. ix. Constantius arianus imperator, qui templum orthodoxis eripuit, et arianus transcripsit, a Juliano Apostata, quem, ut pote cognatum, collegam imperii designarat, imperio et vita pene privatus, tandem sacro igne percussus, interit, uti narrat Pomponius Letus in ejus Vita. Julianus, qui ex templis idola facere destinabat, in prelio adversus Persas sagitta collius lectus, occubuit, uti narrat Aurelius Victor in ejus Vita. Valens arianus, Constantii in scelere assecla, a Goli's fuscis in tugurium se abdens, ibi ab fisdem concrematus est. Constantinus Copronymus, id est stercorarius, qui uti stercore suo baptisterium dum baptizaretur, ita et sordibus hæresis ac sacrilegii sui fœdavit Ecclesiam, fœda lue percussus putidam animam exhalavit. Plura, si voles, vide apud Thomam Bozium, lib. XXII *De Signis Ecclesie.*

Patrum nostrorum memoria Henricus VIII, Anglie rex, schismatici Anglicani fax et auctor, qui monasteria et ecclesias: ac nominatim opulentam illam S. Thomæ Cantuariensis basilicam expilavit, vel diruit, adeo ut de Anglia sæculo precedenti scripserit Poeta:

Milia dena unus templorum sustulit annus.

Henricus, inquam, ad pauperiem reductus, corpore ita intumuit, ut alter Bacchus videretur, ac moriturus pateram vini astantibus præbibens: «Omnia, inquit, perdidimus, amici.» Ita desperabundus sacrilegam animam effudit, uti refer: Nicolaus Sanderus in *Schism. Anglie.*, et alii.

Tropologie, §. Ambrosius in hunc Aggæi locum scribens, per domos cœlatas accipit hypogæa, et voluptatum gurgustia: talia enim sunt hypogæa, id est subterranea habitacula: «Qui enim, ait, infra terram habitant, non possunt edificare templum Dei, et dicunt: Non venit tempus edificandi domum Domini: simul quia luxuriosiorum est hypogæa querere, captantium frigus æstivum, et quod resoluti deliciis æstus aliter ferre ac tolerare non queant, et ideo requirunt umbrosa penetralia: vel quod desidiosa ignava sub terris agant ota: deinde quod tenebrosa li-

los et opaca delectent magis, quibus operiri flagitia sua credant, secundum illud *Eccli.*, xxii: Tenebre circumdant me, et parietes, quem verror? Sed frustra hoc sperant, cum profunda abyssi et abscondita Deus cernat. At non Elias in hypogæis, non Eliseus habitabant; sed in superioribus, etc. Ergo sancti ascendunt ad Dominum, flagitiosi ad vitiâ descendunt: sancti in montibus, criminosi in vallibus. Deus enim montium est, et non Deus vallium.» Et mox: «Quomodo enim possunt tales homines templum edificare, qui quasi fera ac bestia in spelea ferarum, et bestiarum latibula sese recipient, atque in foveas se serpentum more demergunt, et consuetudine fraudulente vulpis infodiunt?»

§. PONTE CORDA VESTRA SUPER VIAS VESTRAS. — *Vers. 1.*  
Vias vocat opera, eorumque successum et fructum, q. d. Attenta mente perpendite opera vestra, scilicet seminandi, laborandi, comedendi, bibendi, vestiendi, negotiandi; quodque ex eis parvum tuleritis fructum, scilicet parvam messem, parvum lucrum, parvam refectionem et calefactionem, tum hoc anno (erat enim jam augustus et messis), tum præcedentibus a Gyro hucusque: ac simul examine causam hujus infelicis successus, cur videlicet omnia vestra infœusta sint et infelice cadant: ac inviemtis non esse aliam quam negligentiam vestram in instantando templo. Ita Lyranus, Valabius, Arias et alii, q. d. Considerate quanta mala sitis passi per vestram istam socordiam: quocirca exinde ponite, secundo, corda in vias vestras, ac discite quantum inter curam rerum divinarum et eandem incuriam intersit. Ita S. Hieronymus. Ac tertio, ponite corda, id est adjicite mentes, et applicate animum, ut incuriam hanc majore cura et studio compensetis, ut tanto sitis in fabrica hæc diligentiores, quanto hactenus fuistis negligentiores. Sic enim sese explicat vers. 7, dicens: «Ponite corda vestra super vias vestras: ascendite in montem, portate ligna,» etc.

Aliter Pagninus: prius enim verbum vertit per præteritum, posteriora per futurum in *Seminasitis*, ait, *multum, et inferetis parvam: comedetis, et non saturabimini: bibetis, et non inebriabimini: induetis vos, et non calefacietis vos, et qui se locaverit mercede, locabit se mercede quæ erit, ac si poneret eam in sacco pertuso, q. d. Ponite corda vestra, et considerate non tantum vias et actiones vestras præteritas, sed et futuras, ut ex utrisque cum eventu hoc collatis, per experientiam discatis mentum hoc oraculum esse verum, et ex Deo. Nam ex iis que seminastis, parum messis colligitis: ex cibo et potu non saturabimini: ex vestibus non calefacietis; ex laboribus non discescitis, quandiu in hoc domus Dei neglecta persistetis. Et sic ex Hebræo verti potest; ibi enim verba sunt modi infinitivi, que ita sonant: *Seminastis multum, et inferetis (in horrea) parvam: comedetis, et non ad satietatem: bibetis, et non ad ebrietatem: vestri,**

et non caleferis; mercede congregans, congregans in sacco pertusum. Qui infinitivi et per præteritum verti possunt, uti vertit Noster, Septuaginta et Tigurina; et per futurum, uti vertit Pagninus; et per præsens, uti vertit Chaldeus, dicens: *Seminatis multa, et educitis modicum: comeditis, et non satiabimini: bibitis, et non inebriabimini: induetis, vos calefitis: qui operus vus locat, mercedem reportat maleditionem; pula infelicitatem, inopiam et penuriam; sicut ex adverso justis ex laboribus suis referunt benedictionem, id est rerum copiam et abundantiam. Licet enim in Chaldeo sint participia præsentis temporis, non verba, tamen hæc æquivalent verbis ejusdem temporis, uti et apud Hebræos: quia utriquo carent verbis præsentis temporis, et pro eis utuntur participiis, ut dicant: *seminatis multa, et educatis modicum, pro eo quod nos dicimus: seminatis multa, et educatis modicum, etc.* Plenus erit sensus, si omnia tria tempora complectamur; quandiu enim culpa, tandiu durat et pena. Propheta ergo ita recenset præterita et præsentia mala, ut simul minetur et futura, ni mores mutant et pigritiam diligentia compensent. Has calamitates eis minatus erat Moses *Deuter.* xxviii, 38.*

Symbolice S. Hieronymus, q. d. «Habulistis hucusque corda vestra vitiis servientia sine ordine, sine præcepto, quocumque trahebant desideria pergentes. Nunc autem Dominus vobis præcipit, ut ordinetis in se charitatem, et ponitis corda vestra super vias vestras, ut nihil absque judicio et consideratione faciatis, sed semper ante pedes vestros legalis lucerna præcedat, et dicatis: Lucerna pedibus meis lex tua, et lux semitis meis.» Cor enim, quia non sedes, ut alii qui physici voluerunt, sed origo (ex corde enim oriuntur spiritus animales, qui menti, rationi et contemplationi deserviunt) et symbolum est sensus communis, rationis, prudentiæ et sapientiæ, uti ostendi *Ezechiel.* xxxvi, 26; hinc pro iis in Scriptura sumitur.

Tropologie, S. Gregorius hom. 40 in *Ezechiel.*: «Mullum, ait, cordi suo seminat, sed parum inferit, qui de mandatis cœlestibus, vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando parca fructificat. Comedit, et non satiat, qui verba Dei audiens, lucra vel gloria sæculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur, qui aliud mandit et aliud esurit. Bibit, et non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari.» Vide et Haymonem in hunc locum.

¶ 6. ET INTULISTIS PARVM. — Hoc et plura Judæis comminatus fuerat Dominus *Levit.* xxvi, si Deum Deique cultum negligenter. Notent hoc agricolæ, discantque se parum fructum ex ampla semente subinde colligere, quia neglexerunt Dei templum, Missas, festa, invocationem et cultum: quæ de re exstant exempla luculenta in Vitis Sanc-

torum. Deus enim punit fame et pauperie neglectum sui et sacrorum, ac multo magis tropologie punit neglectum sanctificationis animæ, quam in templum dei virtutibus construere et ornare debemus. Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

COMEDISTIS, ET NON ESTIS SATIATI. — Hoc rursum eis comminatus erat Dominus *Levit.* xxvi, 26: *Comedetis, et non saturabimini.* «Qui vero sanctus est, ait S. Hieronymus, usque ad satietatem comedit, et explebitur in illo quod scriptum est *Proverb.* cap. xiii, 25: Justus comedens replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis.»

BIBISTIS, ET NON ESTIS INEBRIATI. — id est satiati, refecti, exhilarati. Sic fratres Joseph in ejus convivio dicuntur inebriati cum eo; id est saturati et hilares effecti, *Genes.* xliii, 34. Sic et *Cant.* v, 1: «Bibite, et inebriamini,» id est satiamini, «charissimi.» *Psal.* xxxv, 9: «Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ,» id est ita replebuntur et exhilarabuntur, ut videantur esse ebrii. Unde explicans subdit: «Et torrente voluptatis tue potabis eos.» Porro causa cur bibentes non sint satiati, fuit, partim quia parum vvarum et vini collegerunt, partim quia vva fuerunt evanida et exsucca, ac villum dederunt, non vinum; forte etiam, quod Deus iratus vno, æque ac pani, vim et vigorem nutriendi satisfandique ademerit, non concurrendo cum eis ad nutritionem et satiationem, idque in penam peccati Hebræorum. Eadem cause sunt cur vestibus non sint calefacti.

Symbolice S. Hieronymus: Peccatores vino sapientiæ et gratiæ Dei destituti situnt, justus vero eo abundans inebriatur, «qui potest dicere ad Dominum: Calix tuus inebrians quam præclarus est! *Psal.* xxii, et inebriatur cum Noe: et licet in *Egypto* constitutus, tamen in convivio Joseph cum patriarchis et fratribus vino madet. Iste per magnitudine lætitiæ et quotidiano gaudio, cum Apostolis versus in exstasi, appellabitur musto plenus,» *Actor.* ii. Et S. Gregorius homil. 40 in *Ezechiel.*: «Solet, inquit, per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea que sunt hujus sæculi adipisci desiderat, bibit, et inebriatus non est. Si enim inebriatus esset, procul dubio mentem mutasset, ut iam terrena non quæreret, jam vana et transitoria que amaverat, non amaret. De electis namque per *Psal.* xxxv, dicitur: Inebriabitur ab ubertate domus tuæ: quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibi metipsis extranei esse videantur, impletes quod scriptum est: Qui vult venire postme, abneget semetipsum,» *Matth.* xvi.

ET QUI HEREDES (operarum suarum, laborum et negotiationum) CONGREGAVIT, MISIT EAS IN SAC-CULUM PERTUSUM, — id est eas perdidit, ac si misisset in bursum pertusam, per quam in terram

Expositio  
spiritualis  
quæ

decidunt et amittuntur. Est catachresis. Similis peramnia est Plauti in Pseudolo : « In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus. » Et illa Aleiphronis apud Athenæum, lib. IV : « In Danaïdum doliâ, amphoras infundimus. » Fingunt enim poetæ Danaïdas doliis pertusis haurire apud inferos aquas, ad quas Medea :

Vos quoque uras quas foratis irritis ladii labor.

Et illa Aristotelis, lib. I Œconom. cap. vi : « Cribro aquam hauris. » Unde illud quod pueri audivimus : « Haurit aquam cribro qui discere vult sine libro. » Similes sunt : In aqua sementem facis : In saxis seris : In aqua scribis : In arena ædificas : Oleum et operam perdis : Reti ventos venaris : In aere piscaris : Aranearum telas lexis : Nugas agis : Undas numeras : Arenam metiris. Hæc omnia verissima sunt quando invilo, vel irato Deo aliquid molimur.

Moraliter, notent hoc operarii, mercenarii et meretores, nimirum suos labores, operas et mercedonia, quibus noctu diuque sese fatigant, in cassum cadere ob neglectum Dei cultum et gratiam. Vide Levit. xxvi, 14, et Deuter. xxviii, 10. Quare si ea utilia velint, si lucrum et divitias inde cupiant et capient, Deum colant et invocent, juxta illud Christi Math. vi, 33 : « Querite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. » Hinc Apostoli tota nocte piscantes nihil ceperunt, quia sine Christo piscabantur : mox autem ut in nomine Christi laxavit rete Petrus, conclusit piscium ingentem multitudinem. Luca v, 3; quia, ut ait Psaltes Psalm. cxxvi, 1 : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. » Et, ut ait Apostolus I Corinth. iii, 7 : « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. »

Sæcus pertusus mystice triplex.

Mystice, militi mercedes in sæculo pertusum : Primo, qui post bona opera et merita in peccatum mortale prolapsus, ea sordidat, perdit et dissipat. Ita S. Hieronymus. Secundo, qui bona opera malis actibus perdit, qui scilicet bona opera, quæ ante oculos habet, placidiora, et culparum quæ inter ea irrepunt, obliviscitur : aut post bona ad vana et mala redit, ut v. g. bonum quod plangendo lucratus est, mox nimie ridendo perdat, inquit S. Gregorius homil. 4 in Ezechiel, et parte III Pastor. admon. 22 : « In sæculo, inquit, pertuso videtur quando pecunia mittitur, sed quando amittitur non videtur : qui ergo quanta largimur aspicunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sæculo mercedis mittunt : quia profecto has in spem suæ fiducia intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt. » Tertio, qui virtutum opera faciunt ob vanam gloriam, puta ob ostentationem. Ita Remigius.

Denique apposite auctor quidam antiquus hæc Aggæi verba adaptat rigibus, qui magna tributa subditis indicunt, sed inde non ditantur,

quia ea illico in suos parasitos effundunt. « Pertusus, inquit, jampridem est regius fiscus, et nihil relinet, sed omnia effundit, ut possit de illo recte dici illud Aggæi : Qui congregavit mercedes, misit illas in sæcum pertusum. Videmus in sacco pertuso nihil immissum posse diu conligni, sed quod una ex parte ingeritur, ex altera effunditur ; quodque ex superiori parte accipit, mox per inferiorem desluit. Quæ sunt autem sacci pertusi duo foramina, nisi duo vitia, quæ prima specie videntur contraria, sed subinde in principibus sunt conjuncta, nimia scilicet cupiditas aliena habendi, et immoderata prodigalitas habita largiendi? Prima congregat, secunda dispergit : prima infundit, secunda effundit : prima ingurgitat et semper esurit, secunda etiam cum saturata est fragmenta projicit. Prima sollicitari de futuro videtur : secunda improvida nec presentia regit, nec futura prospicit. Prima est os sacci supremum semper paratum ad accipiendum : secunda foramen inferum, quod nunquam clauditur, sed jugiter patet ad late spargendum. Liqueat ergo quod pecunia talibus angaris collecta, nihil principibus proficit, qui semper ex tempore illo quo ista fieri ceperunt, inopes et egeni fuerunt, et infinito oppressi ære alieno. » Deinde ostendit ista nec aulicis, quibus donatur, prodesse. « Fallitur autem quisquis existimat aulicis qui totum fere accipiunt, ista profutura, qui tandem cœlesti eos urgente judicio, aut a principibus quos spoliaverunt, solent spoliari ; aut ab eorum hæredibus vel successoribus, qui se per illorum insidias tanta exutos hereditate concipiunt ; aut ab illis qui divino instinctu republicam per tales collapsam relevare aggrediuntur, non solum glutitia coguntur evomere, sed suis pessimis consiliis prostrate patriæ penas debitas exsolvere. Quocirca tales pestes, tales furias, regum pariter ac regni exterminatrici, a principum necesse est societate longius abalienari, nisi irreparabiliter regnum ipsum deperire volumus. Hoc est enim capitale et lethale regni vulnus. » Sapienter dixit Livius lib. XXII : « Private res semper officere, officientque publicis. » Et Tacitus lib. I Histor. : « Pessimus veri affectus venenum, sua cuique utilitas. » Clamat Amos cap. ix, vers. 1 : « Avaritia in capite omnium. » Quod est autem « populi caput, » nisi de quibus dictum est : « Optimates, capita populorum. » Discant ergo principes eorumque consilarii illud Sapientis Prov. xxv, 4 : « Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum : aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur justitia thronus ejus. » Aufer scilicet Harpyias istas voraces, peculati infames, quæ sæcum ærarii publici pertundunt, illumque depeculant, et justa erit publicorum vedgalium opumque (quæ reipublicæ sunt firmamentum) distributio.

8. ASCENDITE IN MONTEM — Libanum : inde enim utipote vicinum, et cedris aliisque arboribus

abundantem, ligna succidit Salomon pro templo et domibus suis. Idem fecerunt Zorobabel et Judei in restauratione templi, ut patet I Esdræ, iii, 7. Ita S. Hieronymus, Chaldaeus, Theodoretus et alii. Ex Libano ergo præcidite et « portate ligna » ad fabricam templi (1). Aiunt Hebraei, inquit S. Hieronymus « sola tantum ad contignandum ligna fuisse necessaria, stantibus muris templi post incendium. » Sed errant : funditus enim dirutum est templum a Chaldaeis. Id patet ex eo quod Zorobabel et Judæi, reedificantes templum, ima ejus fundamenta jecerint, ut dicitur I Esdræ, v, 16, et cap. vi, 3. Ex quibus locis liquet sub Cyro jacta esse fundamenta templi, et parietes erectos. Unde sub Dario tantum opus fuisse lignis ad contignationem, et ad tectum, uti hic dicitur, eaque de causa hic tantum lignorum comportandorum fit mentio.

Topologie S. Hieronymus : « Ascendamus, ait, in montem rationabilem, et ad singula problemata congrua de testimonio Scripturæ ligna quærentes, præcidamus ea, et ædificemus domum sapientie in nobis : postquam enim hæc fuerit extructa, finis ædificationis ejus erit, ut Dominus glorificetur in nobis. » Porro domus et templi hujus fundamentum jaciendum est fides, pavimentum humilitas, antemurale patientia, altare oratio, tectum charitas, quatuor parietes quatuor virtutes cardinales, pinnaculum spes. Vide dicta Ezech. xl, sub initium. Hoc est quod ait Apostolus I Corinth. iii, 9 : « Dei ædificatio estis. Unusquisque autem videat quomodo superædificet, » etc. Et vers. 16 : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis. » Ephes. ii, 20 : « Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino : in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu. »

ET ACCEPTABILIS MIHIERIT. — Hebraice אֲבִירֵי מִן מוֹרֵי הַיָּדָן, id est, ut Septuaginta et Pagninus : *Complacito in ea*; Tigurina : *Et gratum mihi erit*; Vatablus : *Et erit mihi benivolentium in eo*, ac proinde orantes in eo, vel versus illud exaudiam,

(1) Monte perique interpretes Libanum intelligunt, ex quo cedros ad ædificandum templum a Tyris et Sidonis advectas legitimus, I Reg. v, 20; Esdræ iii, 7, inquit Rosenmuller, atque ad afferte, portate, cogitatione supplet inde. Alii cum Chaldeo אֲבִירֵי הַיָּדָן, collective intelligunt de montanis vicinis, qui illis temporibus sylvis constita erant, unde ligna ad ædificandum petenda essent. Nehem. vii, 15; sed vix dubium, quin אֲבִירֵי הַיָּדָן, præmissis articulo, significet hoc loco montem illum in quo ædificandum erat templum, cujus statim fit mentio, in qua jubentur lignum ad ædificationem necessarium afferre. Hanc interpretationem non satis mirari potest Maurer, cum e nexu perhæreticè charissimæ, inquit, intelligendos esse montes, de quibus ligna advehenda essent. Facillime caremus illo quod Rosenmuller desiderat, inde. Articulus vero nisi nisi montem vel montes, montana, definite cogitata postulat. (Maurer.)

uti promisi Mosi Deuter. cap. xii, 11, et Salomoni III Reg. viii, 29.

ET GLORIFICABOR, — in eo colar et celebrabor hymnis, psalmis, votis, orationibus, oblationibus, victimis, etc., ac vicissim gloriam et beneficentiam meam in eo vobis ostendam. Nota : In Hebræo est *heri* et *kehi* id est varietas lectionis et scriptionis. Scribitur עֲבָדָה *eccabeda*, id est *glorificabor*, sine *he*, sed legitur per *he* paragogicum, quod proinde ad marginem annotatur. Quocirca Rabbini et Thalmudici, ut R. Elias, R. Salomon, R. David, et ex iis Galatinus lib. IV, cap. ix, Genebrardus in *Chron.*, Arias, Ribera et a Castro hic, hujus varietatis hanc causam assignant, quod littera *he* apud Hebræos sit nota numeri quinarum, ut significet quinque defuisse in templo secundo, quæ fuerunt in primo : quæ proinde Deus per suam presentiam et gloriam se hic compensaturum promittit. Quinque hæc sunt : primo, area testamenti ; secundo, Urin et Tummim in rationali pontificis, per quæ pontifex consulens Deum accipiebat ab eo responsa, et cognoscebat futura ; tertio, ignis sacro celo lapsus ad comburendas victimas ; quarto, presentia Dei in Sancto sanctorum super propitiatorum et Cherubim ; quinto, Prophete et prophetie. Arcam enim defuisse in secundo templo liquet ex II Machab. ii, 4, ubi narratur quod Jeremias, imminente excidio Hierosolyum, eam e templo extulerit et abscondere, dixerique : « quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat Judæis. » quod erit in fine mundi, cum eos colliget in Ecclesiam Christi, et salvabit. Quare area testamenti, quæ hic Romæ ostenditur in basilica Lateranensi, non est area a Mose fabricata, sed ejus imago et representatio, quam Judæi, primæva arca Mosaica, continente urnam cum manna, et tabulas decalogi digito Dei inscriptas, destituti, ad ejus similitudinem efformarunt, et in templo (ut dicitur) collocarunt. Sed ignem sacrum in secundo templo defuisse falsum est; nam is, sub Juda Machabeo et Nehemia, in repurgatione templi illi cœlitus restitutus est, ut patet II Machab. i, 32. Id tamen verum est, si de igne primævo ad Aaronis et Mosis sacrificia delapsio loquamur. Hic enim absconditus a Jeremia, postea requisitus non comparuit, uti ibidem dicitur. Similiter oraculum Urin et Tummim in secundo templo defuisse videtur, saltem pluribus annis. Nam de eo sic scribit Josephus lib. III *Antiq.* cap. xii : « Cessavit itaque *essen* (hebraice *choshen*, id est rationalis, in quo erant Urin et Tummim) et sardonius splendescere annis ducentis antequam ego hæc scriberem, cum Deus moleste ferret legum transgressiones. » Ubi nota Josephus meminisse tantum splendoris rationalis, non oraculi : quare oraculum multo ante cessasse videtur. Unde Arias, Vatablus et alii censent per *et glorificabor* significari, quod Christus he defi-

Quia res defuerant secundo templo, quæ adlocrat primo.

ciens in eccabeda, id est quinque hæc dona, sua præsentia et gloria sit suppleturus, quando in secundo templo versabitur, docebit, facielique miracula, de quo plura cap. n, 7. Quamobrem pro אֶבְבֵדָה *eccabeda*, id est *glorificabor*, aliis punctis legi posset active אֶבְבֵדָה *ehboda*, id est *glorificabo*. Ita legisse videtur Chaldeus, dum vertit: *Placebit mihi, ut collocem maiestatem meam in ea gloria: licet enim invisibiliter Dei maiestas semper habitavit in templo, visibiliter tamen in eo habitavit quando Verbum incarnatum, puta Christus, illud sua presentia et maiestate corporaliter condecoravit.* Aptius forte dici posset *he subintellectum in eccabeda*, id est *glorificabor*, significare quod Christus futurus sit gloria secundi templi, sed arcaea, et Indæis occulta. Tradunt enim Cabalisticæ *he* significare personam mediam in SS. Trinitate, puta Filium, per quem quasi ideam et verbum omnis res *הוּרֵי הַיָּסוּד* *haia*, id est existit et creata est; unde nomen *Iehova* in se continere SS. Trinitatem. *Idem* enim initiale denotat Patrem, qui est SS. Trinitatis origo: *he* Filium: *eau* Spiritum Sanctum. Porro geminari *he* in *הוּרֵי יְהוָה* *Iehone*, ut significetur gemina Christi natura, divina et humana.

Vers. 9.

9. RESPERXISTIS AD ANIMULAS. — Sperastis vos habituros messem peramplam, et ecce paucam collegistis: id et paucum quod convexistis in horrea, ego Deus « exsufflavi illud, » id est flatu et nitu meo feci evanescere, seu redegi in nihilum, uti segetes solet exsufflari ventus urens, dum grana adurit et desiccatur, itaque folliculos inanes reliquit. « Cum jam candescerent segetes, inquit S. Hieronymus, et messium tempus instaret, et frumenta vos in manibus tenere putaretis, messuistis vactos culmos et inanes stipulas. Plena erant aræ, spes in oculis, luctus in manibus. Sed et hoc quoque ipsum quod vix de multa segete, et infinitis aerivis fuerat electum, inbilis in domum, et virtute mea dispersum est. Exsufflavi enim illud, et redegi in nihilum; quia frumentum emortuum, et vacui folliculi, que utilia esui sunt, farinam et simulam non habebant. » Qui et tropologie addit: « Quoties vidi ego tam in doctrina, quam in conversatione de quibusdam sperata plurima, et postquam ventum est ut haberent tempus messium, id est tempus docendi, vitamque suam in exemplum præbendi populorum, de excelso præcipitatos, et minus inventum in eis quam opinio sibi omnium promittebat. Unde accidit ut paulatim negligentia surrepente, parvum quoque ipsum quod videbantur habere, perderent. Hoc autem idcirco perperssi sunt, quod securi fuerunt in pristinis domibus suis, nec ascenderunt Scripture montem, edificationis de eo Dominica ligna cedentes, nec extruxerunt in se quotidie domum Domini. » Hanc enim causam subdit Propheta: « Quia domus mea deserta, et vos festinastis uniusquisque in domum suam; » Tigurina: *Quia domus mea*

Tropologie.

*alioque deserta est, vos autem curritis ut quisque domum suam habeat, hoc est, satagitis quisque rem suam, et interim negligitis res divinas.* Ita Valabius.

10. PROPTER HOC SUPER VOS PROHIBITI SUNT CÆLI. Vers. 10. — Sic et Chaldeus vertit per præteritum: *Idcirco ob scelera vestra cessaverunt cæli ab emittenda pluvia, et terra cessavit ad edendos fructus.* Possunt rursus hæc et sequentia verti per futurum cum Septuaginta: *Propter hoc cælum abstinēbit a rore, et terra subtrahet gemina sua: quia Dei creatoris sui injuriam sentiunt, eamque ulciscuntur.*

11. ET VOCATI SICCITATEM SUPER TERRAM, — et Vers. 11. — inde consequenter sterilitatem, penuriam, ut vertit Chaldeus, et famem, ac consequenter morbos et pestes, imo lites, iras et bella, que ex hac aeris et frugum inflammatione ac defectu nascuntur. Unde Septuaginta pro *חֶרֶב* *cherob*, id est siccitatem, legentes *חַרְבַּת* *cherob*, id est gladium, vertunt: *Inducam gladium super terram; gladium intellige vel proprie dictum, puta bella iam dicta (1); vel metaphorice, puta siccitatem et famem, que instar gladii homines enecat et succidit.* Ita a Castro. Sic enim in Scriptura gladius, vel ignis, generalia sunt nomina, et quamlibet cladem significant. In Hebræo est elegans paronomasia, qua pœna alludit ad culpam: quia, inquit, domus mea *חֶרֶב* *cherob*, id est deserta est, hinc ergo pariter vocavi *חֶרֶב* *cherob*, id est siccitatem, vel *חַרְבַּת* *cherob*, id est gladium, qui simili modo vos desolabit, facielique domos vestras desertas. Sic Judæi, qui deseruerunt et spreverunt Christum, hinc ab eo vicissim audiuntur: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, » *Matth.* cap. XXIII, 38.

Tropologie. de figurat. tropologia. Eccl. sicut. — Tropologie: « Hæc universa, ait S. Hieronymus, possunt de Ecclesiæ rectoribus intelligi, qui ædificantes carnalem domum, liberisque suis et possessionibus providentes, non curant vel in seipsis extruere templum Dei, vel Ecclesiam Domini, qua infecta et diruta est, instaurare: quorum sæpe vita et sermo incongruus scandalizant plurimos, et de Ecclesia ejicit, et ad solitudinem

(1) Nullo modo assentiri possumus Alexandrinis, ait Scheibel, etenim respunt hanc mutationem textus verba priora Prophetæ, in quibus tantummodo de siccitate atque penuria loquitur vers. 7, 9; hisque adjecti licet que cap. II, 18, 20, legimus, ubi plaga a Deo misse tertia vice repetuntur, et de siccitate ejusque effectu tantummodo narratur. Deinde de fame et penuria optime dici potuit: *Et super omne quod produxit fructus.* His denique accedit, Persæ quidem regnante Cambyses Jubaus templum ædificans armata manu impugnavit (*Esd.* IV, 23), persecutionem autem Daro quidem rege cessasse, mala contra et plagas inflatas usque ad annum secundum regni Darii, quo templum redificari ceptum perdurasse, coll. IV *Esd.* XXV, 1; *Agg.* II, 16, 20. Ceterum hoc exemplum lectionis Græcorum interpretum, a Masoretica discrepans, defendit eorum opinionem qui censent Alexandrinos in exemplaribus legisse aut non punctatis, aut vocalibus tantum hinc inde adhibitis. (Scheibel.)

perducit domum Dei, ut propter eorum vitium, nec cæli rorem, nec terra det germen, » etc. Hæc de causa Deus quovis sæculo excitavit insignes pontifices, doctores, fundatores Ordinum, viros sanctitatis et sapientia illustres, qui ruinam Ecclesiæ restaurarent, eamque verbo et exemplo exedificarent. Tales fuere S. Albanus, Basilus, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Benedictus, Bernardus, Dominicus et Franciscus, qui vivens Innocentio III Pontifici per visionem apparuit, quasi sustentans ruentem basilicam Lateranensem, ubi Pontifex pontificalium habet cathedram: qua visione motus Pontifex, ejus regulam et Ordinem mox approbavit. Quin et idem sanctus, simili viso ad idipsum a Deo vocatus est. Nam, ut narrat S. Bonaventura in ejus Vila, cap. II: « Cum in ecclesiam S. Damiani, que minabatur ruinam, causa rationis intrasset, prostratus ante imaginem crucifixi, in eamque lacrymosis oculis intendens, vocem de ipsa cruce dilapsam ad se corporeis audit auribus, ter dicentem: Francisce, vade et repara domum, quæ, ut cernis, tota destruitur. Tremefactus Francisus mentis alienatur excessu. In se tandem reversus, totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Ecclesia reparanda; licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit, sicut enim Spiritus Sanctus edocuit, et ipse postmodum Fratris revelavit. » Subdit S. Bonaventura eum deinde tria templa instaurasse, scilicet S. Damiani, S. Petri et S. Mariæ de Angelis, ut significaretur quid facturus esset in posterum: « Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatur, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam, Christi trifortiter renovanda erat Ecclesia, tria quoque triumphatura militia salvandorum, » puta triplex Ordo ab eo erat instituendus, qui omnes Ecclesiæ status reformaret. Hi sunt quos in spiritu prævidens Isaias gratulabundus eis accinit cap. LVIII, 12: « Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis: et vocaberis edificator septimum, avertens semitas in quietem. » Denique S. Chrysostomus orat. 3 *Contra Judæos*, tom. V, docet eum qui animam converterit, majus gratiusque donum Deo offerre, quam si templum ei construeret. « Unicum, ait, templum diruit Deus Hierosolymis, et innumerabilia erexit, illo longe venerabiliora. Vos, ait, estis templum Dei viventis. » Et iterius: « Hæc est major elemosyna quam decem millia talentorum, quam hic mundus universus, quantus quantus undique patet oculis. Siquidem homo est toto mundo pretiosior. Hujus enim causa et cælum, et terra, et mare, et sol, et stellæ condite sunt. »

Vers. 11.

12. SICUT MISIT EUM DOMINUS. — Pro sicut hebraice est *כִּינֵה* *caeser*, quod vel causam significat, q. d. Quia miseret Aggæum Dominus, hinc

populus audivit eum; vel modum, q. d. Eo modo populus audivit et obedivit Aggæo, quod Deus eum miserat, nimirum, verba ejus non in altum sensum detorsit, sed plane ea accepit juxta mentem Domini, prout ea protulerat et explicarat Aggæus, itaque eadem mox opere complevit. Vera enim obedientia consistit in eo, ut verba præcepti non sinistre interpretetur, non ad nostrum placitum explicemus et torqueamus, sed ea simpliciter accipiamus, et exsequamur juxta mentem præcipientis. Ita a Castro.

Verba obdientia in quo stit.

13. ET DIXIT AGGÆUS NUNTIIUS DOMINI DE NUNTIIIS Vers. 13. — *Tis nuntius potest accipi dupliciter, primo, in genere neutro, q. d. Qui erat Domino nuntius, id est a legationibus, ubi vulgo dicimus: Hic mihi est a pedibus, a consiliis, a litteris.* Ita Arias. Unde hebraice est *מַלְאָכִי* *malachi*, id est, ut Tigurina, Paganinus et alii vertunt: *Et dixit Aggæus, legatus Domini in legatione Domini, id est quiungebat legatione, ad quam eum legarat et miserat Dominus. Unde Cyrus vertit: Dixit Aggæus angelus Domini in angelatione Domini, hoc est legatus, vel nuntius in nuntiatione Domini, ut vertit Arabicus, qui scilicet mittebatur a Domino ad populum, ut ei Dei jussa nuntiaret. Secundo et planius, masculine, q. d. Dixit Aggæus, qui erat nuntius et legatus unus ex probatissimis nuntius et legatis Domini, cui proinde merito Zorobabel et populus fidem prestavit. Simili hebraismo et geminatione dicitur Genes. XIX: « Pluit Dominus a Domino. » Idemdem in eadem Aggæus se mitti et loqui ex Deo, ut oraculis suis fidem conciliet, et acrius moveat pigrum populum ad fabricam templi, utpote quam iterum iterumque jubeat et urgeat Deus, simul promittendo ad eam suam opem et protectionem. Legit Interpres cap. Septuaginta alio puncto *מַלְאָכִי בְּמַלְאָכוֹת* *demalachot*, id est in angelis, sive legatis et nuntiis: licet enim sit hoc nomen hebræum femininum, tamen masculinae sonatur, significatque rei, puta legationis, excellentiam. Sicut *Ecclesiastes* hebraice vocatur *קוֹהֵלֵת* *kohelet* feminine, q. d. Concionatrix, ob concionis præstantiam. Mulieres enim in eloquio sunt facundæ, disertæ et præstantes, miramque habent dicendi, in animum influendi et persuadendi vim. Ita Septuaginta qui vertunt, *ὁ ἀγγέλος*, id est in, id est ex angelis, hoc est nuntius. Sic et S. Hieronymus, Remigius et alii. Hic sensus eodem redit, et coincidit cum priora. Ex hoc loco Origenes, ut tacto nomine refert hic S. Hieronymus, suspicatus est Aggæum non fuisse hominem, sed angelum incarnatum, ut dixi in Proemio; sed temere. Hebræum enim *מַלְאָכִי* *malach* Angelum significat, non tantum natura, sed et officio, id est legatum, nuntium, ut vertit Noster, Septuaginta, Chaldeus et alii. Hinc tamen disse dignitatem Aggæi. Unde Septuaginta vertunt: *Dixit Aggæus angelus Domini in angelis Domini, id est angelus inter angelos selectus et elevatus.* Ex Hebræo veritas: *Dixit Aggæus angelus Do-**

Aggæus vocatur angelus, cur?



mini in Evangelio Domini, vel nuntius in annuntiatione Domini. Christi enim ortum et redemptionem annuntiat festive cap. II, 7. Simili modo ultimus Propheta vocatur *Malachias*, id est angelus Domini. Et Joannes Baptista ob angelicam vitam et prædicationem vocatur angelus *Malach. III, 1*: « Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. » Sic Christus, *Isaïæ IX, 6*, a Septuaginta vocatur *magni consilii angelus*, id est nuntius. Videant hic dignitatem suam Propheta, id est doctores et prædicatores, sciantque se esse legatos et nuntios Dei. Ita S. Paulus *II Corinth. V, 20*. « Pro Christo, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. » Ego vobiscum sum. — « Non loquitur, inquit S. Hieronymus, ad Zorobabel et Jesum, cum

quibus et in quibus semper erat Dominus; sed ad populum, qui timuerat a facie Domini, *q. d.* Ego ero vester adjutor, edificata domum vestram quæ in vobis destructa est; me in medio vestri constituto, nemo ædificationem vestram prohibere poterit.

14. ET SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM ZOROBABEL, *Vers. 14.*  
ET SPIRITUM JESU. — « Ut regnum et sacerdotium ædificent templum Dei, ait S. Hieronymus, suscitatur etiam spiritus populi, qui in eis ante dormiebat; non corpus, non anima, sed spiritus, qui magis edificare scit templum Dei. »

Tropologie, « Suscitatur in nobis Spiritus Sanctus, ut ingrediamur domum Domini, et faciamus opera Domini. » Porro suscitavit Deus spiritum, id est mentem animamque populi, exalando illum ut alacriter et strenue intenderet fabricam.

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Tres prophetia cap. II.*  
*Primum Aggæi prophetiam audivimus cap. I; hic audiemus tres alias quæ consecuta sunt. Prima est vers. 1, quæ incitat Judæos ad fabricam templi, promittendo majorem ejus fore gloriam quam fuerit templi Salomonici, eo quod in illo docturus et miracula facturum sit Christus, ejus adventum cunctis gentibus totique orbi desideratum fore prædicat, adeo ut in eo commoveenda sint cælum et terra, mare et arida. Secunda est vers. 11, quæ Judæos in inchoata fabrica tardiores et tepido affectos, quod dicerent sufficere altare ad vicinas, nec opus esse integro templo, redarguit, asserendo Deum nolle altare sine templo: altaris enim locus, domus et decus est templum. Quod si edificare pergant, promittit eis frugum abundantiam. Tertia est vers. 21, quæ Zorobabeli ob præstitam in fabrica diligentiam pollicetur, quod Christus ex ejus stirpe nasctur, cui Deus, eversis aliis regnis, dabit regnum æternum (1).*

1. In die vigesima et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis. 2. In septimo mense, vigesima et prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi propheta, dicens: 3. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel duces Juda, et ad Jesum filium Josedec sacerdotem magnum, et ad reliquos populi, dicens: 4. Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? 5. Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus, et confortare, Jesu filii Josedec, sacerdos magne, et confortare, omnis populus terræ, dicit

(1) Sermone exprobratorio de quo in cap. I successit tres alii sermones sub prophetia, ut bene notat Cornelius, quos paulo fusius et clarius, in multis Kilber sequendo sic analyticè exponimus.

Sermo II promissorius. Post mandatum prophetandi datum Propheta ad eosdem, notato rursus tempore, 2-3, Aggæus, primo, languorem, ex tenuiore templi conditione ortum, exiit, 4; secundo, promittit potens Dei auxilium, quod populo suo jam ab antiquissimis temporibus præsitaterat, 5, 6; tertio, prædicat commutationem rerum et adventum Messie, 7, 8; quarto, declarat ex hoc, non autem ex splendore materiali, majorem templi gloriam futuram, 9, 10.

Sermo III correctorius. In quo Propheta repetit plagas quibus Deus ob ædificationem templi tam diu intermissam Judæos puniverat, esseque luculenter et accuratius, quam superiori capite describit. Mandato prophetandi

ad sacerdotes accepto, Propheta, primo, urget continuationem operis, cum plenaria ad Deum subjectione, ostendendo bonum ex omni parte debere esse perfectum, tum per questionem legales propositas, 12-14; tum per responsa ad morales actiones applicata, 15; secundo, revocando in memoriam peccata priores, ob unam fabricæ intermissionem filatas, 16-18; tertio, promittendo benedictionem temporalem, ob vigentem populi in fabrica continuata obedientiam, 19, 20.

Sermo IV consolatorius, ubi repetit Propheta vaticinium de gloria secundi templi, domum Davidis celebrans. Eodem igitur die mense et anno, 21, Propheta, primo, repetit instantem rerum mutationem, 22; secundo, præannuntiat monarchiarum excidium, et gentium inimicarum destructionem, 23; tertio, promittit singulorum distinctionem, tutelam et præcellentiam Zorobabeli inchoatæ, posteris continuatæ, Christo finitæ, 24.

Dominus exercituum: et facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum) 6. verbum quod pepigi vobiscum cum egredere mini de terra Egypti: et spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. 7. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum, et terram, et mare, et aridam. 8. Et movebo omnes gentes: et veniet Desideratus cunctis Gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. 9. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. 10. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. 11. In vigesima et quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens: 12. Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: 13. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes dixerunt: Non. 14. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? et responderunt sacerdotes, et dixerunt: Contaminabitur. 15. Et respondit Aggæus, et dixit: Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum: et omnia quæ obtulerunt tibi, contaminata erunt. 16. Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. 17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem: et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti. 18. Percussit vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum: et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. 19. Ponite corda vestra ex die ista, et in futurum, a die vigesima et quarta noni mensis: a die, qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. 20. Numquid jam semen in germine est: et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam. 21. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima et quarta mensis, dicens: 22. Loquere ad Zorobabel duces Juda, dicens: Ego movebo cælum pariter et terram. 23. Et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni Gentium: et subvertam quadrigam, et ascensorem ejus: et descendent equi, et ascensores eorum: vir in gladio fratris sui. 24. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel filii Salathiel, serve meus, dicit Dominus: et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

*Vers. 1.* 1. IN DIE VIGESIMA ET QUARTA MENSIS, IN SEXTO MENSE, IN ANNO SECUNDO DARIÏ. — Hæc verba pertinent ad finem capitis præcedentis, indeque pendunt. Significant enim a Judæis inchoatum fuisse opus, et fabricam templi die 24 mensis sexti; scilicet tunc crepisse eos materiam preparare, ligna cadere et aptare. Nam fabrica ipsa inchoata est die 24 mensis noni, ut dicitur vers. 11. Caput ergo secundum proprie inchoatur a vers. 2; alioqui enim versus secundus pugnet cum primo, ut patet intuenti. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Remigius, Haymo, Lyranus, Valabius et alii passim. Similem diastolem irrepisse Jerem. cap. XXVIII, 1, censet S. Hieronymus et alii. Vide Cap. XXXIII in Proemio (1).

(1) Non dubitare licet, inquit Scheibel, hanc versum ad caput præteritum pertinere; nam talis duorum temporum notatio (coll. II, 1), et quidem diversorum, non potest conjungi. Recte igitur in editionibus Van der Hooght, Michaelis, Kennicotti, Jahni, capiti primo an-

cepit ergo Aggæus cap. I, hortari Judæos ad opus die prima mensis sexti, perexiitque quotidie eos urgere ad illud per 23 dies, tandemque perpulsi eos, ut die 24 opus inchoarent. Eum imitentur concionatores, ut constanter pergant in arguendis vitis, nec cessent, donec animos audientium permoveant ad illa exstirpandum. Sicut enim « gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo; » ita dura et lapidea hominum corda non vi, sed crebra monitione et inculca-

nectitur, falso contra capiti secundo annumerant Cod. IV Kennicotti et editiones Bombergi, Antwerpensis, Sacchandrea, Hutteri, Montani, W. Itou. Co. senti itidem nobiscum Rosenmullerus, qui rec. monet, vers. 18, Prophetam loqui de tempore spatio inde a templo fundato usque ad ejus ædificationem denovo inchoatam, versum autem primo capitis secundi di de tempore ipso ædificationis rursus continuatæ. Cf. Eichornii vestigia theotiscam in *Die Hebr. Propheten*, vol. III, pag. 318. (Scheibel.)